

V E S P E R — V E Č E R

(Ančka Šumenjak)

Quam pulcherrimus hesperus quietus!  
Mox longe ianuam domus recludo.  
In coelo iubar hesperi rubescit,  
Accendunt sua lumina astra noctis.

Foras in tenebras eo silentes,  
Ventus me tepidus levisque mulcet  
Mitigatque tener vage susurrans,  
Maestam sollicitamque me manentem.

Maribor.

Vertit: S. Kopriva.

SUB VITIBUS — POD BRAJDAMI

(Ančka Šumenjak)

En in umbra vitium  
Felix virgoque et puer,  
Offerunt sibi fidem,  
Mutuo amplexus petunt.

Tempus urgens praeterit,  
Discedit puer procul.  
Virgo nequiquam manet,  
Ut revertatur domum.

Nunc in umbra vitium  
Quisquam non adhuc sedet.  
Quis scit, qua meet puer,  
Heu, puellae cor dolet.

Maribor.

Vertit: S. Kopriva.

TECUM — S TEBOJ

(Ančka Šumenjak)

Tecum, cara quando eo,  
Alteros non conspicio,  
Audio vocem tuam,  
Visu te modo haurio,  
Vultum floridum tuum.

Quam fovet mi pectora,  
Iuxta me, si, cara, ades!  
Cordi est suave quam meo,  
Elloqui possum tibi,  
Quibus angor, recreor.

Arbitror nec non puto:  
Quam dolebo, cum duo  
Porrigemus nos manus  
Mutuo atque cum vale  
Nos dicemus invicem!

Maribor.

Vertit: S. Kopriva

## EPISTULA — PISMO

(Ančka Šumenjak)

Scripti: „Care mi, veni!“	„Ad te venero libens,“
Tu mihi: „Iam venero.“	Obtulisti mi exiens.
Te manebam fervide,	Basiasti me tener.
Tu felicitas mea es!	Nunc ab usquam non venis.

Adfuisti. Quamque ovans	Usque cor vocat meum:
Te recepi concita!	„Care, exspecto te, veni!“
Felicissimus dies	Irritum quaerunt mea
Mi fuit tum, splendidus.	Nec vident te lumina.

Maribor.

Vertit: S. Kopriva.

## CARMEN ULTIMUM — ZADNJA PESEM

(Ančka Šumenjak)

In colle eo libens ibi dormiam,  
In colle eo, quem viculus est prope;  
Ibi quiescere eligam, cum  
Exanimatum erit hoc meum cor.

En collicellos hos patrios enim  
Vallemque suavem hanc atque domesticam  
Impense amavi et terra mitis  
Exanimi mihi det quietum!

Strephant cupressi funerea mihi  
Celsaeque campanae resonent simul;  
Ne lugeat tum quispiam me,  
Mi bene namque erit in solo tunc.

Maribor.

Vertit: S. Kopriva.